RL
2th

Q. D. B. V.

DE LOTIO SANGVINIS ET POTVS

PAVCA MEDITATVS

DISSERTATIONEM

INAVGVRALEM MEDICAM

DIE XXX AVGVSTI AO. CIↃ IↃ CC XLVI

DEFENDENDAM

INDICAT

CHRISTIANVS GOTTFRIED STENTZEL

ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR

CHIRVRGIAE ET PATHOLOGIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, ORDINIS MEDICI H. T. IN ACADEMIA VITEMBERGENSI DECANVS.

Biblioteca Nazionale V.E. III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

DIſputent naturalis Doctores ſcientiae de noua, qua lotium citiſſime ſecerni excernique putant, credunt, et aſſerunt, ratione; fingant hunc in finem perplures, quas nunquam uiderunt, aut demonſtrarunt, demonſtraturi nunquam, uias, canales, et poros; egomet naturam, hoc eſt, artificioſam humani corporis compagem, et fabricam, dilucidis detectam experimentis, et genuinis perſpectam medicis, ut optimam magiſtram, certiſſimumque ac tutiſſimum labyrinthi medici filum Ariadnaeum, ſequens, omne lotium, tomentoſorum, quos extremae emulgentium, ut uocantur, arteriarum propagines praebent, apicum ſubſidio,e ſanguine ſeparari,ſeparatum Bellinianis tubulis, hinc productis, ſuſcipi, ſuſceptum ad peluim, ex iisdem, inter ſe unitis, conflatam, amandari, amandatum per ureteres, cum pelui continuos, ad ueſicam, ac-

Digitized by Google

commodatum illius receptaculum, deriuari, deriuatum, niſi impenſior impediat acrimonia, uel alia cauſa, colligi, collectum, orbicularium, quas in urinariae fundo ueſicae inuenimus, fibrarum contractione, uillis muſculi, ut dicitur, ſphincteris, in collo eiusdem conſtituti, relaxatis, iam iam in priſtinum redituris ſitum, per urethram foras eliminari, et cum impetu, ſi abundet, ſi maius harum partium robur adſit, propelli, eiicique, ſufficientibus inſtructus argumentis, ab experientia haud alienis, iterum iterumque perhibeo, et affirmo, idem pluribus magis magisque confirmaturus. Confirmo hoc notiſſimis circuli ſanguinis, uitam largientis, conſeruantis, legibus, et has ex ui mechanica ſequentibus actionibus, nonniſi materiales, quibus defenduntur, mutantur, augentur, minuuntur, deprauantur, emendantur, deſtruuntur, cauſas agnoſcentibus. His inſiſtens atque inhaerens ueſtigiis, atque a regia, quam elegi, uia nunquam diſcedens, noui; certiſſime, inquam, anatomicis conuictus demonſtrationibus, noui, quod ſanguis, perenni, quo agitur, circumagiturque, flumine, e ſiniſtro cordis uentriculo pulſus, propulſus, cum magna, ſeu aorta, ut uocatur, arteria communicetur, communicandus cum uniuerſi partibus corporis. Relinquens ſuperiora, ad quae ſine intermiſſione commeat ſanguis; relinquens partes, in capite, collo et thorace ſitas, quibus omnibus, de ſenſu, motu, incremento et robore dictum proſpicit uas, inferiora, in abdomine ſita, renes in ſpecie, quibus peraeque dicta ſeruit arteria, uniuerſi emolumento et conſeruationi corporis deſtinata, ſco-

po

Digitized by Google

po ſatisfacturus meo, conſiderabo. Deſcendens magnae, maximis minimisque, quae ſub diaphragmate ſitae ſunt, partibus dicatae, truncus, inſignem, ab utraque, utrique reni, dextro et ſiniſtro, parte, ramum, ramis, quos alia hinc accipiunt uiſcera, longe maiorem, impertit, in ductus paruos, minores porro, minimos tandem, ex quibus fiſtulae tenuiſſimae, renales, uel Bellinianae dictae, lotium, quod dictarum apicibus arteriarum ſecretum fuit, recipientes, uehentes, una cum uenis et uaſis limphaticis, propagantur, diremtum ac diſtributum. Per huius uaſis ramos, magnam renum partem conſtituentes, renes nutriri, augeri, ad debitam prouehi magnitudinem, et in bono, cuius deſiderio omnes flagrant, ſtatu conſeruari, hinc probatur, cum, illis oppilatis, obſtructis, aut alia laeſis ratione, renes exareſcant, contabeſcant, abſumantur. Verum enim uero, plura ſunt, quae dicti canales, ſat magnae, arteriae, adeo inſignis, propagines, praebent, commoda et emolumenta; nam, limpham ex iisdem ſeparari pellucidam, defecatam, ad glandulas, et ex his ad ſanguinem, quem caua ad cor ducit, reducitque, uena, deriuandam, CASPARI BARTHOLINI (*) experimentum docet, docens ſimul, quod eorundem quoque adiumento, et actione, lotii, in renibus ſeparandi, et e corpore remouendi, ſecretio excretioque fiat, haud interrupta in naturali ſtatu continuanda ſerie et ordine. Nemini igitur mirum uideri poteſt, quod, ſanguine, conſtanter

(*) In Specimine Adminiſtrationum Anatomicarum, p. 68.

Digitized by Google

ter ad renes, per tam magnas arterias, larga adducto copia, uberior lotii fiat ſeparatio, ſeparati excretio. Multo minus mirandum, ſi, copioſiore potus, largius et frequentius hauſti, portione aſſumta, augeatur, quae renum reliquarumque miniſterio partium perficitur, urinae ſecretio et execretio, nouis antiquo iunctis ſtimulis, nouoque, qui cuneum trudit protruditque, cuneo addito. Admitto nihilo ſecius differentiam inter lotium potus et ſanguinis; eandem, inquam, iure meritoque lubens et uolens admitto, negatis, quos hunc in finem finxerunt, ductibus nouis. Omne quidem lotium, e ſanguine, et quidem illo, qui per emulgentes arterias ad renes defertur, ſecerni, anatomicis experimentis, iterum iterumque repetitis, et hiſtoriis morborum, renes afficientium, paſſim annotatis, conuictus aſſero. Videtur itaque, haec reſpicienti, et perpendenti, nulla nulliusque plane momenti differentia, inter lotium ſanguinis et potus, a me conſtituta. Habet tamen eadem ſuum in natura fundamentum, eaque, prudenter applicata, haud leue in ſalutaris exercitatione artis praebet emolumentum. Appello uero lotium potus, quod, poſt affatim hauſtas aquas, acidulas, thermas, infuſa, decocta, uina, cereuiſias, etc. magna frequenter redditur copia, aſſumtique portioni potus reſpondet, et omni fere colore deſtitutum, magnam habet cum aqua conuenientiam. Tale lotium, per ordinariam, qua chylus alias fertur, uiam, ad ſanguinem, et cum ſanguine ad renes deriuatur. Cum uero idem minus cum ſanguine mixtum, coniunctum

Digitized by Google

iunctum et ſubactum ſit, hinc parum uel nihil ſalis ſulphurisque, ſanguini inhaerentis, cum hocce ſero, in renibus ſeparato, dimittitur. Hic ſane diſpiciendum, ne lotium potus cum lotio ſanguinis confundatur; nam, notiſſimum eſt, quod in continuis febribus, lotium aquoſum, aquae colore et conſiſtentia ſimillimum, funeſti ſignum euentus haud raro ſit, imminens delirium, conuulſiones et mortem indicans, quae minime expectanda metuendaque ſunt, ſi idem a potu diluente, largius et frequentius hauſto, decocto ſcilicet ceraſorum, hordei, auenae, etc. dependeat. Quemadmodum enim in priore caſu, ſalia acria, ſulphureis ſaturata particulis, recuperandae ſanitatis ergo foras eliminanda, retinentur, retenta cumulantur, cumulata acriora redduntur, et inflammationem meningum cerebri, et alia grauiora mala producunt, ita longe aliter idem eſt comparatum, ſi, aquoſi ſubſidio potus, largius et frequentius hauſti, ſalia ſoluuntur, diluuntur, temperantur, praecipitantur, et a ſe inuicem ſeiuncta et correcta, quaſi eluuntur. Cum uero omne lotium, tum ſanguinis, tum potus, e ſanguine ſecerni aſſeruerim, illis in ſpecie breuiter reſpondendum erit, qui ad frequentem celeremque lotii poſt hauſta potulenta excretionem prouocantes, nouorum neceſſitatem neceſſariamque praeſentiam canalium, uel ex uentriculo, uel inteſtinis, ad renes ueſicamque extenſorum, euincere contendunt, aut poros, foras intro-proſpicientes, in urinaria effingunt ueſica, per quos, ſerum, in pelui abdominis collectum, lotio augendo ſeruiens, tranſire perhibent. Examinent iidem, et conſiderent,

quod,

quod, non illico, aſſumtis et deglutitis potulentis, largior lotii ſuccedat excretio, ſed, quod eadem, aliquo demum temporis ſpatio praeterlapſo, ſequatur, quae deinceps eo promtius et frequentius procedet, quo robuſtiora ſunt, quae copioſo utuntur potu, corpora, et quo maior ſalium copia potulentis ineſt, quod generoſorum exemplo uſuque uinorum confirmari poteſt. Cum enim talia potulenta non egeant uentriculi actione et uirtute, nouum eidem robur addentia, uerum irritando eiusdem fibras motrices, motum periſtalticum promoueant et augeant, eadem, celerius ad ſanguinem delata, celeriorem et uberiorem ſecretionem urinae pariunt. Accedit his, quod idem effectus in ipſo ſanguine hinc obſeruetur, tota eius maſſa magis diluta, et fluidiore reddita, atque emulgentium apicibus arteriarum ita relaxatis et emollitis, ut commodius uberior urinae portio ſecernatur et excernatur. Idem confirmat coloris, quod in tali lotio, diuerſis uicibus excreto, deprehenditur, diſcrimen; prius quippe colorem, colori corticis mali citri reſpondentem, obtinet, lotium ſanguinis dicendum, cum poſterius, illud excipiens, mere aquoſum ſit, ad lotium potus referendum. Multa quidem a multis in ſcenam producuntur experimenta, quae ſententiae meae aduerſari uidentur, at eadem, ab aliis inſtituta, expectationi non ſatisfecerunt partim, partim iisdem hiſtoriae clinicae omnem derogant fidem. Renibus quippe obſtructis, inflammatis, paralyſi affectis, calculo obſeſſis, atque impedita, ut pauciſſimis dicam, lotii in renibus ſecretione, quam ſpuria comitatur

tatur

Digitized by Google

tatur ἰσχουρία, aut denegata eiusdem, ex ſimili uitio, ureteres affligente, ad ueſicam deriuatione, ne guttam urinae in ueſica reperiri, aut excerni, quotidiana docet experientia, quod ſecus eueniret, ſi aliae adeſſent uiae, urinariae inſertae ueſicae, aut, ſi hoc negotium, pororum, eidem adſcriptorum, ope perficeretur. Solum uero, de quo egi, diſcrimen, inter lotium potus et ſanguinis, abunde innuit, et diſtincte probat, qualis de iudicio medico, ex ſola urinae inſpectione formato, non uiſo aegroto, aegrotaue, non perſpecta eius conſtitutione, non examinata morbi cauſa, origine et ſede, ſit ferenda ſententia? Nonne natura et portio potulentorum, quibus diuerſi utuntur homines, multiplex et diſcrepans eſt? Nonne hinc uaria erit indoles et copia urinae? Nonne hinc uarius emerget odor, color et conſiſtentia lotii? Nonne idem peraeque in diſcrepantis hominibus conſtitutionis obſeruatur? Medici ſane, quod ex ſola lotii inſpectione deſumitur, iudicium, iudicio ſacrificuli, Romano Pontifice ſe ſuperiorem iudicantis, ſimillimum iudico, qui, plus, quam ruſtico tumidus turgidusque faſtu, futilium et garrularum mulierum aliorumque nequiſſimorum hominum ſermonibus fidem habens, audita una alteraue circumſtantia, aut lacera hiſtoria, non eruto eorum fundamento, honeſtis uiris ignominiae maculam impudentiſſima impudentiſſimus ratione, ut infamis laudis et honoris depeculator, inurere non ueretur. Aſt manum de tabula. Vocor ad reddendam uitae rationem, quam ſequentibus, a Doctiſſimo Candidato, Dn. MAVRITIO CASPARO HAERTELIO conſcriptam, communico:

Natus ego ſum Noebdae, in Ducatu Altenburgico, Anno a Seculi Natiuitate, nono atque decimo. Patrem ueneror, cuius nomine et ego dicor, MAVRITIVM CASPARVM HAERTELIVM, Artium Liberalium et Philoſophiae Magiſtrum, eundemque Paſtorem Altkirchenſem, et Dioeceſeos Altenburgicae Adiunctum. Matrem ſuſpicio MARGARETHAM CATHARINAM, LEVBIORVM filiam et ornamentum. Pueri animum primus ipſe optimus Parens formauit, et ad pietatem, bonasque literas, ſua quaſi manu me abduxit. Sed adoleſcentem deinde Altenburgum dimiſit, et Clariſſimis Illuſtris, quod ibi floret, Fridericiani Doctoribus, MOERLINO, Directori, WEBERO, GSCHWENDIO, MEYERO, MAHNIO, Profeſſoribus, Anno ſeculi ſecundo et triceſimo, erudiendum tradi-

dit.

Digitized by Google

dit. Confectis in hac Muſarum ſede nouem annis, ſcholam cum Academia commutaui, et Lipſiam, iuſſa Parentum capeſſens, tandem adii. Hic, KLAVSINGIO Rectore, Anno Seculi primo et quadrageſimo, ciuium Academicorum iure donatus ſum, et optimos quosque Profeſſores, tum in Philoſophia, tum in Medicina, Praeceptores fideliſſimos, accepi. MVLLEROS namque, WINCKLEROS, POHLIOS, GVNZIOS, HEBENSTREVTIOS, QVELMALZIOS et PLATNEROS, omnes, honoris cauſſa, nomino. Abſolutis iam ſtudiis Academicis, Parentum uoluntati ſatisfacturus, Vitembergenſes Athenas adii, ſummos in Arte ſalutari ambiens honores et priuilegia Doctoralia.

Tribuentur eadem eidem, Die XX praeſentis menſis et anni a nobis examinato, et inter Candidatos Medicinae, omnino dignos, relato, habita Diſſertatione

Digitized by Google

tione Inaugurali, quam, Praeſide, Viro Magnifico, Excellentiſſimo, et Experientiſſimo, Dn. GEORGIO AVGVSTO LANGGVTH, Anatomiae et Botanices Profeſſore longe meritiſſimo, Die XXX. Aug. defendet. Singularem, quam ex MAGNIFICI RECTORIS, PATRVM CONSCRIPTORVM et CIVIVM praeſentia capiemus, uoluptatem et honorem, ſumma obſeruantia colemus, et uenerabimur. Dabam Vitembergae, e Muſeo, Die XXIV. Aug. Ao. cIↄIↄ CC XLVI.

VITEMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI ACADEMIAE A TYPIS.

VA115 21687

Digitized by Google